



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Eius vicarij, ac præfecti. cap. 36.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

postulanti, vt illud sibi iuris remitteret; & reficiendæ ecclesiæ necessitatem, tenuesque fructus excusantis; libere respondit; nullo modo ei se velle cõdonare, qui episcopatum, etiam adiecta pensionis conditione, quæ si erat, facturum tamen, vt ea pecunia quotannis in ecclesiam illam reficiendam: vel ornandam aliorum operum infunderetur. ita omnino concedendum quod petierat, si modo ecclesiæ ea usq̃ vere postulasset. Fructus suos vniciuque ecclesiæ; presbyterisque singulis, integros relinqui curauit vehementer, & effecit. eo namq; primum ecclesiam capefcente; vel magna ex parte, vel toti, alienis hominibus erant referuati: ex quo fiebat, vt qui essent aliquo numero presbyteri, sacerdotia recusarent; quorum facultatibus, pro dignitate, vitæ cultum minime possent conseruare. qui vero accipiebant, parui pretij homines, neque doctrina, neque auctoritate satis muneri suo facere valebāt: vt præter sacerdotis, vt tempora sūt, ex ea re contemptum; neque sacra supellex pro decoro parati; neque refici, vel ornari ecclesias; neque facta tecta haberi possent. Igitur neque pensionis onus vel minimum cuiquã ecclesiæ imposuit vmquam; & si quis forte per auctoritatem superiorem obtinere vellet, contra totis viribus pugnavit. cum ex satis magnis Præposituræ facultatibus, ex suis quidam, quo plurimum utebatur, annuã pensionem sibi fere impetrasset; ea Carolus vt auferretur, statim effecit. neque alius postea vmquam conari aliquid simile ausus est. Sacerdoti tantum pensionem concessam scio. is cum ecclesiæ diu vtilem sane operam pro doctrina, virtuteque sua nauasset, demum multi laboris parochiam habens, infirmaque valetudine confectus, cum eam relinquere cogere- tur; neque aliunde haberet vitæ sumptum; moderatam pensionem ex ec-

clesia sua, quæ erat ex locupletioribus, à Carolo accepit. Quoniam vero ecclesijs, sacerdotijsque plerisque licet integræ, tenues erant tamen facultates, quibus id opus fuit vel parochiæ administrandæ, vel Theologiæ docendæ, vel omnino necessaria de causa; alias adiunxit, ex ijs, quæ simplicia vocant beneficia, quibus nulum fere munus cõiunctum est. quod genus alioqui nemini vmquam, vel ipse contulit; vel passus est conferri. ac ex ijs beneficijs vnum, cum ex domesticis quidam, cuius opera Carolo valde utilis erat, sibi, Carolo ipso insciente, comparasset; hominem, vt alijs esset exemplo, missum fecit. tũ suis omnibus conuocatis, denunciavit; qui ei, vel potius sacrae administrationi suæ inseruire vellet; suo cõtentus stipendio, nihil eiusmodi vmquam, neque omnino quidquam ex ecclesiarum suarum fructibus speraret; nisi quis à se idoneus iudicatus, vocatusque, cum adiuncto munere, atque opera beneficium accepisset.

Cum totius ipsius gubernationis auctor, tanta per se obiret, efficeretque, quanta vnus, modo hominis, viribus tolerabilia, non videbantur: multum tamen eguit Vicarijs, & ministris. Ac ea quidem quæ ad forum, iudiciaque pertinent, fere non attingit; nisi quatenus ad iudices constitutos in officio continendos, corrigendosve necesse esset; vt non tam iurifconsultorum libris ad iudicandum; quam prudentia, pietate, animi lumine, sãctorum patrum decretis, exemplisque opus esset. de decreto, spiritualia in primis sibi suscipienda statuerat: quibus administrandis, ob rerum agendarum multitudinem, plures sibi necesse fuit adiutores asciscere. Primò igitur iurisdictionem, gubernationemque ecclesiæ suæ ita distribuit. Tres constituit præcipuos Vicarios, vnum, qui de rerum controuersijs, litibusque, alium qui de cri-

Eius Vicarij ac præfecti.  
Cap. xxxvj.

mini-

minibus cognosceret. priuatim vero, ac generalem, qui omnibus iudicijs, totique præflet gubernationi, ac disciplinæ. Auditoris nomine aliū delegit: qui ditionis ecclesiæ res tum alia quoq; cognosceret; & Vicarios alioqui maxime occupatos subleuaret. quos omnes vna cum fisci procuratore, quātum fieri posset, fide, probitate, doctrina spectatos iurisconsultos elegit: Vicarium vero generalem in primis grauem, pietateque, & religione præstantem; tum præterea disciplinæ sacrę studio incensum sacerdotem. Hos adhibere externos solebat; ne forte amicitia, propinquitate, gratia, aut vero metu adducti, ius aliquo modo quandoque violarent; minusve libere dicerent. eosdem certo constituto stipendio, domi suę alebat. cumq; honoraria omnia, in causis quidem suæ diocesis prohibuisset: in externis exigua constituisset: penitus etiam interdixit, ne vel minimam rem vllam à quodam dono acciperent. nam vel de se ipso affirmabat; si munusculum à quoquam accepisset; aliquam in eum ea de causa voluntatis inclinationem sentire sibi videri. si forte gratiæ, pecuniæve iudex seruiret, quod attentissime iubebat obseruari; confestim missum faciebat. suis vero reliquis iusserat, ne causam, hominemve quemquam ijs vnumquam commendarent. De litijs est memorabile; notarijs, scribifque fori, Caroli tempore accidisse; vt peritiam earum litijs, quæ de beneficijs alibi tam frequentes inter clericos esse solent, pene dediscerēt. nulla enim eo viuente lis erat eiusmodi. vocatus quisque nihil agitans, ne cogitans fere quidem, beneficium accipiebat; sine controuersia retinebat; sine auctoritate sui Antistitis nō dimittebat, aut parmutabat. De criminibus; iustam vnumquemque subire delicti pœnam volebat, si res in iudicium deduceretur. si vero quis pec-

catum dolens, tempestiue, atque ingenue fateretur; tantopere commoueri se dicebat, vt ipsius misericordix modum vix teneret. Aliquos etiam, si res ita ferret, prius semel, atque iterum monebat, antequam in iudicium vocarentur. Mitius egit postremo suæ administrationis tempore. ac initio quidem, ob magnam, inueteratamque licentiam, seueritate opus fuit. postea vel disciplina, vel metu facilius in officio clerus retinebatur. Clericorum mores corruptos qui tamen ad crimina legum pœnis digna non peruenirent, ita quandoque puniebat; vt homines non vsitato carcere, sed suarum ædium cubiculo certis diebus contineret; quibus eorum petulantiam ieiunio, custodiaque castigaret; & piorum quoque virorum oratione reuocaret ad sanitatem. Hominem vètri deditum, cum illud quoque nosset committere; vt æstiuo tempore vinum sacrificij causa paratum aqua gelida iuberet refrigerari; complures dies inclusum ita tenuit; vt aqua illi tantummodo, eaque ad id in sole tepescita, potus causa præberetur. Multas res irrogatas in pios vsus, præcipue vero in pauperum ecclesiastica collegia iussit infumi. Qui ex clero iuris essent periti; eos ex forensi quæstu studuit ad religiosiora studia reuocare; quamquam eorum facultate multis alioqui rebus vsus est. ex his, alijsque, quos domi plures semper habuit iurisconsultos, alios alijs muneribus præfecit: Iudices ab Romana Sede dando ijs qui prouocarent, in synodo elegit: pauperum aduocatos; reorum, qui essent in carcere, communem patronum; alium qui pia legata solui curaret; Visitatores, aliosque, de quibus postea dicemus. Cancellarium ecclesiæ; quo munere laicus anteaungebatur; clericum, eoque maioris templi canonicum, imitatione veterum elegit. Quoniam ex

decre-

decretis plurima scripto concedi va-  
rijs de causis necesse erat; gratis fere  
dari omnia cōstituit. si qua de re aut,  
ad notariorū mercedem, refūve scri-  
bendarum copiā, exigi aliquid oport-  
teret; id modicum, aut etiā intra mo-  
dū cōstituit. quibus de rebus; alijsq;  
multis in libello explicatum est, quē  
hoc de genere forensi cōscribi; ediq;  
iussit. Urbis singulas regiones, quā  
sex habentur singulis probatis, pri-  
marijsque sacerdotibus assignavit;  
qui Visitatorum auctoritate clerico-  
rum omniū in morēs, vitamq; specu-  
larentur; ecclesiarum cultum; & diu-  
nā munera obseruarent; omnem de-  
nique disciplinam; & canōnica præ-  
scripta custodirent: quā oporteret,  
ad Vicarium generalem quotiescū-  
que opus erat referrent; tum certis  
diebus ad eundem cōuenientes; de  
statu rerum suā quisque regionis,  
plene docerent; & quā providenda;  
vel ordinanda viderētur, ex eius sen-  
tentia constituerunt. omnia vero Ca-  
roli nutu administrabantur: vel epim  
intererat; vel de grauioribus saltem  
rebus, Vicarios, regionū præfectos,  
alios ministros audiebat.

*Diocesis ad ministratio*  
*Cap. xxxvii.*

Diocesis Mediolanensis in cer-  
tas regiones, quas appellant plebes;  
diuiditur: in vnāquaque regione,  
præcipua ecclesia est; eaque in vico  
fere, aut castello, quod est, antea  
fuit regionis præcipuum. ecclesijs ip-  
sis presbyteri præsunt; Præpositi di-  
gnitate insigniti; & quantum ex anti-  
quis vestigijs perspicitur, collegia  
canonicorum adiuncta erant; quo-  
rum aliqua nunc etiam manent. Ius  
quoddam ecclesiæ, Præpositoq; fuisse  
videtur in tota plebe, quā multa-  
rum est parochiarum; non dissimili,  
quibusdam in rebus, veterum Core-  
piscoporū instituto. Illud iuris,  
præcipui, præter nomen, vestigium  
est: quod Baptisteria sunt insignia;  
hoc est sacella fatis ampla, separatim  
fabricata, vbi aqua baptismi stato tē-

posse consecraretur; & vt puto, to-  
tius regionis infantes antiquitus sa-  
cro baptismo abluerentur. hanc di-  
uisionem, ordinationemque secutus  
Carolus; presbyterum, certa manda-  
ta iurisdictione, ac potestate, in sin-  
gulis regionibus constituit; qui Vica-  
rij nomine, alijs presbyteris, cleri-  
cis, ecclesijsque præset; Præposi-  
tum quidem ipsum, si videretur ido-  
neus; alioqui alium a quo posset ar-  
bitratu suo potestatem in alium trās-  
ferre. sunt hi Vicarij circiter quin-  
quaginta: & quod in vrbe Præfecti,  
hoc ij fere sunt in agro. horū ad quē  
que gubernatio regionis cum refera-  
tur; ipsi ad arbitrium Vicariorum vr-  
bis, generalis præsertim reguntur; &  
ad eum de regionis suæ rebus, singu-  
lis mensibus, vel prout opus est, scri-  
bere solent. Sed commodioris admi-  
nistrationis gratia, duos ex prima-  
rijs sacerdotibus in Vrbe delegerat,  
Visitatoresque generales appellaue-  
rat, quorum alter rerum Urbanarū;  
reli quarū alter, vt generalis Vicarij  
adiutores, curam gererent. Ita cum  
diocesanū Vicarij de regionis suæ sta-  
tu tum alijs vijs, tum ex parochorū  
menstruis congregationibus cogno-  
scant, Mediolanumque scribant: vr-  
bis autem præfecti frequenter itidē,  
vt dictum est, de rebus Urbanis refe-  
rant; quo modo se res in tota diocesi  
habeant, singulis mensibus Archiepi-  
scopus scire potest. At plures etiam,  
puta sex, siue ex ecclesijs, siue ex do-  
mo sua delegerat; qui diocesim cer-  
tis temporibus, in sua suisque assigna-  
ta parte, peragrarent; omnia que visi-  
tarent, ac recognoscerent. vix enim  
fieri potest, vt perfecte pareatur,  
nisi sit qui frequenter instet, & quid  
agatur coram inspiciat. ac ne Visi-  
tatorum huiusmodi sumptus pres-  
byteris esset grauis; eos, honestos  
tamen viros, sine famulis, vno comi-  
te notario, iubebat proficisci. Hanc  
administrationem; cui vir vnus,

Ar-